pore transitûs ad secundas nuptias aderant, de bonis verò constante ultimo matrimonio acquisitis capiant ultimi duas tertias, præcedentes unam tertiam; reliqua bona, quæ utrinque à tempore transitûs agnata fuerunt, ei soli manent, cui post tempus transitûs accesserunt. Vide Land-Gerichts-Ordnung Hertzogthum Francken *Tit. 77.*

CAPUT IV.

DE PACTIS DOTALIBUS & ANTENUPTIALIBUS, CONDONATIONIBUS & UNIONE PROLIUM, EJUSQUE NECESSARIIS REQUISITIS FORMIS, & EFFECTIBUS.

SUMMARIUM.

1. *Quamvis de jure communi pacta successoria non admittantur, valent tamen ea de Jure Franconico.*
2. *De jure consuetudinario Franconiæ non solùm fratres & quicunque alii possunt invicem condonare & se mutuò hæredes facere, sed etiam tutores possunt pupillis suis invicem condonare, eósque ad succedendum parificare.*
3. *Mulier de bonis suis etiam extra dotem sine consensu mariti neutiquam disponere inter vivos potest.*
4. *In locum anni luctus très menses, si mulier non sit prægnans, sunt surrogati, intra quos si superstes nubit, omnia à defuncto conjuge acquisita amittit.*
5. *Constitutio L. hâc edictali Cod. de secundis nuptiis ex consuetudine Franconiæ locum non habet.*
6. *De pacto unionis prolium, ejusque solennia & effectus.*

DIFFE-

DIFFERENTIA I.

1. PActa de futura ſucceſſione inita Jure Civili omninò injuſta ſunt ac prohibita, tum quia per ea induci creditur votum captandæ mortis plenum ſemper triſtiſſimi ac periculoſiſſimi eventûs, tum quia hæc auferre videntur liberam teſtandi facultatem. *Per textum expreſſum L. 5. Cod. de pactis convent. L. 4. Cod. de inutil. ſtipulat.* adeò ut neque civilem obligationem nec exceptionem pariant, ſive ſint pacta de obtinenda & conſervanda ſive de omittenda aut repudianda ſucceſſione; quæ quidem de pactis circa futuram ſucceſſionem initis cum eo, qui hæreditatem relicturus eſt, eodem modo intelligenda ſunt, ac etiam de pactis reciprocis Jure Civili dicitur; nam reciprocatio non tollit turpitudinem pacti GAIL. *lib. 2. obſervat. 126.* imò ipſa pacta dotalia de futura ſucceſſione hoc jure non ſubſiſtunt, & ita odioſa ſunt, ut ne quidem juramentum iis accedere valeat, *L. 15. Cod. de pact. L. 7. §. 16. ff. de pactis.* quod tamen ſecus eſt de Jure Canonico *Cap. 2. de pact. in 6.* ſi verò tertius ſit ille, de cujus hæreditate agitur, & ille conſenſerit, ac in hac voluntate usque ad mortem perſeveraverit, omnino valebit pactum *L. ult. Cod. de pact.* de conſuetudine verò Ducatûs Franconici pacta hujusmodi de hæreditate acquirenda conſervandaque ſubſiſtunt, & fermè ubique in Germania poſſunt conjuges, qui nullos liberos habent, de futura ſucceſſione omnium vel partis bonorum, ante vel poſt nuptias in præſentia amicorum validè paciſci, ſeque mutuò hæredes inſtituere, Land-Gerichts-Ordnung Hertzogth. Francken. *Tit. 99. §. 4. & 5. tit. 100. §. 1. 2. & 5. tit. 120. §. 1.* & generaliter ſciendum eſt, pacta hujusmodi de conſuetudine hominum memoriam excedente paſſim valere, novisque Gentium moribus inducta & comprobata, nec non in Camera Imperiali recepta eſſe, ita teſtatur GAIL. *lib. 2. obſervat. 117. nro 6.* ratio eſt, quia non tantùm nulla præſumitur ſiniſtra intentio ſeu votum captandæ mortis in illuſtribus perſonis, in quibus juxta *Leg. 8. Cod. de ſumma Trinit.* rectitudo clariore lumine præfulgere debet, & ita cauſæ finales, ex quibus dicta pacta improbantur, ceſſant, verùm etiam in Chriſtianis reliquis leges hujusmodi prohibitivæ locum habere non poſſunt, ſed

potiùs moribus ac consuetudine hæc pacta approbantur, nam cessante legis ratione cessat & ipsa lex. *L. 6. §. 2. ff. de jure patron.* Et deinde in veteri Romanorum testandi modo adhuc emptor familiæ adhibebatur, cum quo principalis causa agebatur & planè nihil cum hærede; unde etiam hæres testis esse poterat in Testamento §. *11. Instit. de Testam. ordin.* & sic magis ex pacto & contractu, quàm jure testamenti familiæ emptor mortuo testatore bona hæreditaria in ipsum hæredem transmittebat: si igitur licebat ex lege per pactum hæreditatem in alium transferre, cur non idem etiam posset consuetudo.

DIFFERENTIA II.

2. Licèt aliqui statuant, quod de jure communi Romano pactum de futura successione singulari & particulari valeat, proùt dicit Lancellot. Decius *in Leg. pactum quod dotali Cod. de pact.* hoc tamen est contra expressum textum ad litteram in *L. fin. Cod. de pact.* qui loquitur in hæreditate & successione singulari ac particulari, ùt ibi patet in his verbis, *pacta inter eos inita sunt pro adventura hæreditate, quibus specialiter declarabatur, si ille mortuus fuerit*; & paulò post *quia adhuc superstite eo, de cujus hæreditate sperabatur*; & iterùm ibi *composita sunt, si ille mortuus fuerit:* verùm quodsi duo fratres habeant bona communia, possunt hæc invicem condonare post mortem, imò talis donatio non indiget insinuatione: quòd igitur valeat pactum de futura successione, ut possit quis fieri hæres in contractibus, quoad duos casus societatis scil. & matrimonii intelligendum est, nimirùm quandò bona sunt titulo dotis obligata, & non sub simplici pacto, quòd ultra dotem pariter succedant. *L. cum hæreditas Cod. de pact. convent.* ac denique in casu societatis, quando inter socios est conventum, quod hæreditates iis obvenientes in commune venire debeant *L. 3. §. de illo ff. pro socio.* & hoc pactum reservationis tantæ est efficaciæ, ut etiam prætextu ingratitudinis revocari nequeat. De Jure consuetudinario Franconiæ verò non solùm fratres & quicunque alii possunt sibi invicem absolutè condonare seque mutuò hæredes facere, Land-Gerichts-Ordnung *tit.*

120.

120. §. 4. sed etiam tutores possunt pupillos suos invicem condonare & ad succedendum parificare *eod. tit. §. 3.* qui ita condonati & mutuò hæredes facti omnes alios consanguineos excludunt *tit. 120. dicto §. 5.* nam sicut parentes liberis suis substituere possunt, ita etiam tutores, qui locò parentum hoc jure consuetudinario habentur, possunt pupillis suis invicem condonare eosque parificare, quæ pacta adeo firma sunt, ut ne quidem ob ingratitudinem revocari possint, quia vim permutationis habent, imò magis venditioni quàm donationi comparantur, & in iis incertitudinis ratio dubiusque eventus consideratur, adeò ut hæc promissio mutua de succedendo tanquam obligatio descendens ex contractu de præsenti inter vivos celebrato, licet effectum post mortem sortiatur, tamen irrevocabiliter teneat; id quod absque ullo personarum discrimine etiam inter rusticos procedit.

DIFFERENTIA III.

3. Mulier potest disponere de bonis extra dotem jure communi pro arbitrio tanquam de bonis propriis etiam invito marito, neque maritus fructus & hosce reditus contradicente uxore suos faciet *per text. notab. in L. hac lege Cod. de pact. convent.* quin imò uxor talia bona etiam constante matrimonio & marito vergente ad inopiam vindicare posset *Glos. in Leg. ubi adhuc Cod. de jure dot. in verbo secundum & in verbo ad sustentationem* Bald. *& alii ibidem, text. notab. in L. de his Cod. de donat. int. vir. & uxor.* Alexand. *Pulchrè Consil. 144. num. 4. volum 5.* ubi omninò vide de triplici genere bonorum uxoris, nimirum dotalibus, paraphernalibus, receptitiis & in quibus bonis maritus fructus lucratur Gail. *lib. 2. observ. 82. num. 4.* hinc non interest marito bona uxoris immobilia alienari, cùm illa defunctâ eâ non marito sed hæredibus mulieris cedant. Schneid. *ad tit. Institut. de hæred. quæ ab intestato defer. rubr. de succeff. inter vir. & uxor. num. 32.* de jure autem Franconico non licèt mulieri quidquam sine consensu mariti sui de bonis suis inter vivos alienare, donare, vel quocunque modo disponere, & quidquid contra hanc prohibitionem à muliere alienatum fuerit, idipsum poterit

maritus annullare & retractare. Land-Gerichts-Ordnung Hertzogthum Francken *tit. 102. §. 1.* cujus sanè verba generaliter & indefinitè loquuntur, adeoque & generaliter de immobilibus pariter atque mobilibus bonis accipi debent. *Leg. de pretio 8. ff. de publicianâ in rem act. L. 1. §. generaliter 1. ff. de legat. præstand.* quodsi tamen mulier sit publica mercatrix, tunc omnia, quæ dicuntur in jure de institore, vendicant sibi locum in muliere nuptâ publicè mercante, proùt dicit FABER *in §. 1. Institut. quod cum eo, qui in alien. potest.* & ideò advertendum, quod obliget maritum pro illa mercantiâ, pro qua publicè negotiatur; secùs si publicè mercetur pro una mercantia, & in alio contractu ultra mercantiam se obligat, quia hoc casu maritus non tenetur *L. in eum §. tabernæ & §. servus ff. de institor. act.* nam Institor non obligat dominum nisi ad id, cui est præpositus juxta *notab. text. in L. cuicunque §. 11. ff. de Institoria actione;* unde si etiam mercatrix publica contrahat in alio, quàm mercantiæ casu, maritus vi statuti provincialis non obligatur, eoquòd limitata causa limitatum producat effectum. *L. in agris ff. de acquir. rerum Dominio* nam cùm mulieres soleant ùt plurimùm contra propria commoda laborare, æquum & rationabile fuit inducere, ut in contractibus earum extra mercantiam publicam adhiberetur licentia & authoritas conjugis, neque mariti, de quorum præjudicio agitur, in contractibus mulierum sine eorum consensu celebratis pro uxoribus tenerentur *tot. tit. Cod. ne uxor pro marito.* Quod statutum tamen non habere locum in contractu vel obligatione ad pias causas, utpotè quæ tali statuto non subjacent, inquit PANORM. *in Cap. relatum de test. per illum textum lege generali Cod. de Ss. Eccles.* BALD. & SALICET. *in Authent. Cassa Cod. eod. tit.* idemque dicendum esse statuit, si mulier contrahat & mercetur in his, quæ concernunt alimenta; nam favorem alimentorum & causam piam æquiparari asserit JASON *in L. 1. Cod. de fideicom.*

DIFFERENTIA IV. & V.

4. Non tantùm autem primæ nuptiæ permittuntur, sed etiam secundæ, tertiæ & quartæ teste Apostolo in *Cap. super illa penult. &*

fin

fin. ✠ *de secund. nupt. Can. quodsi 13. Caus. 31. Q. 1.* prioribus tamen ritè per mortem dissolutis, aliter enim matrimonium consummatum quoad vinculum dissolvi nequit, quia repræsentat indissolubilem unionem Christi cum Ecclesia; quoniam verò hæ ulteriores nuptiæ minùs decentes esse videntur ùt patet ex *Novell. Leonis 90. & Can. de bis 8. Can. hâc ratione 9. Caus. 31. quæst. 1.* hinc etiam quædam pœnæ sunt propositæ secundis nuptiis, veluti mulieribus, quibus ante partum intra annum luctus (quod olim erat spatium decem mensium, hodie duodecim) nubentibus infamia inurebatur, præterea ultra tertiam bonorum partem marito secundo in dotem dare aut Testamento relinquere non concedebatur, capere Testamento aut mortis causâ relictum prohibebantur, non vindicabant hæreditatem ultra tertium gradum, & quæsita à priore conjuge auferebantur &c. *L. si quâ mulier 1. L. si qua ex fœminis ùt & aliis Cod. de secund. nupt.* Ratio erat in prolis incertitudine & sanguinis confusione, ut idem non obtineat in marito: post annum luctûs secundò nubentem in eo constringunt leges, ut omne id, quod à defuncto provenit, ad superstitem transmittatur & liberos prioris matrimonii salvo solummodò usufructu. *L. fœminæ 3. Cod. de secund. nupt.* impediunt quoque leges, quominùs ad novum conjugem plus transeat sive per ultimam voluntatem sive per actum inter vivos, quàm maneat penes quemvis liberorum *L. hac Edictali Cod. dicto tit* & hoc tam quoad bona aliunde quæsita, quàm à præmortuo; nam horum proprietas apud liberos manet, ejusque nomine iis est jus Hypothecæ in bonis ea obtinentis, & *L. 6. §. omnibus 2.* tutela liberorum matrem privat. Novell. *de nupt. 22. §. si autem 40.* est & illa pœna, quod mulier transiens ad secunda vota non petito filiis Tutore aut redditâ ratione tutelæ omnes pœnas incurrat, quas nubens intra annum luctûs. *Dict. §. si autem* non permittitur etiam tali matri liberorum educatio: Jure Canonico hæc paulò aliter se habent, nam cùm secundæ nuptiæ eo jure sint permissæ, non debent puniri; quâ ratione onera, quæ meram pœnam concernunt, mulieribus remittuntur, ex ratione *Cap. cum secundum fin.* ✠ *de secund. nupt.* quæ se fundat in eo, scilicet non esse puniendum id, quod jure permissum *L. Gracchus 4. Cod. ad L. Jul. de adult.* ut procedat Regula, quòd ratio in lege expressa sit

pro lege, & obtineat in casu simili. Barbosa *ad L. si constante 24. in princ. num. 100. & seqq. solut. matrim.* manent autem ea, quæ prolium prioris thori favorem concernunt, ùt patet ex eo, quòd non extantibus liberis non impediatur mulier secundo marito tantum in dotem dare quantum vult, proprietatem eorum, quæ à priore marito recepit, sibi retinendo, cùm extincta sit causa, propter quam contrarium est statutum, quod non tantùm habet locum in muliere, sed etiam in viro convolante ad secundas nuptias non extantibus liberis prioris matrimonii, cùm hoc velit natura correlativorum, & in eo habeat locum ratio eadem, quæ in muliere, quæ fundatur in neglecta defuncti memoriâ, & liberorum charitate. *Novell. de non eligendo secundo nubentes mulieres. 2. Capit. prospeximus 1.* Förster *de succeff. L. 7. C. 11.* De Jure & Consuetudine Franconiæ autem ita observatur, siquidem vidua prægnans sit, vel apud quam non levis imprægnaturæ suspicio adsit, prohibetur ante expletum partum & puerperium nubere Land-Gerichts-Ordnung Hertzogth. Francken *tit. 107.* §. 2. ut, si contra fecerit, maritus prolem nec alere, nec ei quidquam pro alimentis suppeditare teneatur. Ubi verò nulla imprægnaturæ suspicio subest, vel alias compertum non prægnantem esse mulierem, nihilominùs tamen unà cum maritis ante quadrantem anni sive tres menses nubere prohibentur *eod. tit. §. 3. & 5.* qui, si contra fecerint, destituuntur omni eo, quod conjux unus ab alio qualitercunque consecutus fuerit. *Eod. tit. §. 4.* quin & judex provincialis præter jam memoratam pœnam reservat sibi ulteriorem mulctam pro conditione personarum & circumstantiis delicti *dicto tit. §. 6. & ultimo*, proùt etiam

5. Jure Provinciali Franconico locum non habet *allegata L. hac edictali 6. Cod. de secund. nupt.* non enim licet hujusmodi secundò nubentibus conjugibus vel liberorum vel suâ legitimâ quidquam & quocunque titulo ante realem & actualem separationem bonorum relinquere, donare vel legare; Land-Gerichts-Ordnung Hertzogthum Francken *tit. 105. §. 1.* sicut pariter supra *Cap. 2. differentia 5. n. 6.* dictum fuit cum certa tamen limitatione, quòd parentes in communibus & indivisis bonis ante actualem divisionem bonorum nihil juris habeant, ac proinde nihil in præjudicium liberorum disponere possint.

DIFFE-

DIFFERENTIA VI.

6. Quemadmodum ex duplici seu triplici juris communis divisione in reiteratis nuptiis contingente magnæ sæpè lites ac discordiæ oriebantur, & ùt plurimùm liberis magna inæqualitas obveniebat, moribus inducta est adoptionis Germana soror unio prolium, hinc quibusdam in locis singulares habent libros adhoc designatos, ut in eos inferant unionis contractum, quemadmodum alicubi sunt libri sponsaliorum, tutelarum & aliarum publicarum rationum Zinns-Bücher, Steuer-Bücher, Cantzley- und Recess-Bücher de quibus RUTGER. RULAND. *de Commissar. & Commiss. p. 2. L. 5. C. 6.* Licet autem tale pactum scriptura firmatum habeat maximum robur, præprimis si actis fuerit insinuatum, veritas tamen ubique magis attendenda quàm scriptura: *L. 17. Cod. de pact. L. 2. Cod. de emancip.* quare si res aliter gesta quàm scripta liquidò probetur, non debet veritas rerum gestarum erroribus vitiari *L. 6. §. 1. de offic. præsid. L. 29. ff. de probat.* Est autem unio prolium pactum solenne consuetudini Germaniæ rationabili innixum & camerali judicio statutisque locorum specialibus receptum, quo parentes ad secundas nuptias transeuntes coram magistratu ordinario causâ cognitâ & interveniente consensu propinguorum, eorumque quorum interest, scripturâ & testibus confecto priùs inventario de hæreditate sua vel parte bonorum inter diversi matrimonii liberos ex æquo communicanda prospiciunt: Rationem verò vel animam, per quam magno cum reipublicæ commodo rerúmque privatarum incremento consuetudo de uniendis liberis nativitatem velut & vitam accepit, ipsum nomen unionis indicat; unio enim & Concordia inter fratres eam suasit, concepit, peperit, ne alternationis cujusdam inter fratres oriatur occasio, ùt loquitur Imperator JUSTINIANUS in *L. 6. §. 2. in fin. Cod. de bon. quæ liber.* quod cùm efficacissimè per æqualitatem successionis conciliatur, abiit paulatim in mores prolium parificatio. Cœterùm ubi talia statuta vel similia non vigent, ibi succeditur secundum jus commune, scilicet si mulier successivè duos habeat viros, quilibet ex iis nati suo tantùm patri communiter autem matri succedunt, & vir si habeat duas uxores ac ex utraque liberos, quisque

que ſuccedit ſuæ matri ùt in Novell. *84. L. 4. ff. ad SCtum Tertull. authent. itaque Cod. communia de ſucceſſ.* attamen quia bona diverſorum matrimoniorum (ut antea dictum) magnas ſæpè pariebant lites, atque aliæ diſcordiarum ſuborirentur cauſæ, ex his & præcedentibus rationibus pactum unionis tanquam unicum remedium inventum eſt, ut omnes liberi ſive fictitii ſive veri in omnibus bonis tam maternis quàm paternis ſeclusâ differentiâ conſanguineorum & uterinorum ſuccedant, atque de his & ſimilibus cauſis pactum hoc modicè introductum nunc tantum propter ſummam æquitatem ſumpſit incrementum, maximè autem in Ducatu Franconiæ introductum, receptum & approbatum eſt. Land Gerichts-Ordnung Hertzogthum Francken *Tit.* von Einkindſchafften *77. §. 1. tit. 80. §. 1. tit. 108. usque ad tit. 120. tit. 185.* & quidem per Ordinationem Provincialem Franconicam licet tripliciter vel ante matrimonium vel in ipſo nuptiali contractu vel ſtante matrimonio per pactum vel coram judicio provinciali unire liberos ſuos *dict. tit. 108. §. 7.* alt quilibet uniendi modus peculiarem ſuam formam & requiſita ad excludendam omnem fraudem & dolum habet Land-Gerichts-Ordnung *dictis titulis 109. 110. 111.* de quibus modis videatur Clariſſimus D. Petrus Rodericus Demerath *parte 4. differ. 6. num. 20. & ſeqq.* His ita perluſtratis de requiſitis ſive ſolennitatibus, quæ in actu parificationis ſummè ſunt neceſſariæ, nonnulla dicenda ſunt: præ reliquis autem ſciendum eſt, quod Ordinatio Provincialis Franconica quoad formam hujus pacti ad unguem ſervari debeat. *Per §. 1. Inſtit. de Jure Nat. Gent. & Civil. L. 9. ff. de J. & J.* nimirùm *1mò* requiritur aditio judicis provincialis, coram quo uniones inſinuandæ & perficiendæ ſunt. *2dò* non ſufficit ſolum votum parentum, ſed hi utriusque lineæ cognatos nec non conſanguineos proximiores advocare debent, ut horum ſtipati præſidio omni fuco & colluſione actum carere doceant. *L. 2. Cod. de adopt. L. 39. ff. eod. L. 6. Cod. eod. & eleganter L. 5. §. 1. ff. quib. ex cauſ. in poſſeſſ. eatur* quodſi fortè & amici deſiderentur, vel ſi qui alii prolibus honeſta & ſpectata familiaritate conjuncti ſunt, adhibebuntur, aut à judice duo vel tres probi & intelligentes viri adlegentur *L. 223. §. 1. ff. de verb. ſignif. L. 2. princ. ff qui pet. tut. vel Curat.* & quidem judex pro varietate & diver-

diverſitate Caſuum & locorum atque perſonarum cognatos vel alios non niſi juratos admittat, ita ut præſtito juramento cogantur aſſeverare, pactum unionis è re & emolumento eſſe uniendorum, nec hìc omittendum, Tutorum ac Curatorum authoritatem, ſi quos habeant pupilli, ad hunc actum requiri. *Arg. L. 2. ff. de adopt. 3tiò* debet intervenire cauſæ accuratiſſima cognitio exemplo arrogationis §. *3. Inſtit. de adopt.* ratio eſt, ne ſub prætextu unionis alter in alterius Facultates irruat *L. 2. Cod. de adopt.* in cauſæ autem cognitione hoc imprimis verſabitur, ut utriusque parentis patrimonia tam in re quàm in ſpe conſiſtentia diligenter exploret judex, & ſimul in ætatem, numerum atque valetudinem liberorum inquirat *Arg. L. 17.* §. *2. ff. de adopt.* his ita perpenſis ubi conſtiterit ſalutarem eam fore vel non magnam inæqualitatem ſeu damnum allaturam, admittet eam. *L. 17.* §. *2. eod. tit.* verùm ad evitandam ejusmodi inæqualitatem ſeu iniquitatem plerumque ſalubriter receptum eſt, ut liberis prioris matrimonii præcipuum aliquod aſſignetur, quod Germani vocant einen Voraus, quod ſine collationis onere & metu retinent; imò ſunt, qui de ſubſtantia eſſe volunt, ut liberis prioris matrimonii tale præcipuum aſſignetur; licet enim parentes rectè cenſeantur liberis ſuis proſpexiſſe, optimumque Conſilium pro illis capere, cùm plus filium quàm ſe ipſum diligere cenſeatur pater. *L. 8.* §. *fin. ff. quod met. cauſ.* §. *ult. Inſtit. de noxal. action.* Menoch. *præſumpt. 56. num. 4. & ſeqq.* undè maximè laudatur Caroli Magni Imperatoris Conſilium, qui cum neſciret, utrum Pater vel filius occidiſſet quendam, ſimulavit ſe utrumque velle ſuſpendere, quo audito Pater confeſſus eſt, ſe occidiſſe, voluítque ſolus ſuſpendi liberato filio; quia tamen incitari parentes quandoque poſſunt vel propria iniquitate vel aliorum inſtigationibus ad contrarium affectum *Arg. L. 50. ff. ad Senat. Conſult. Trebell.* cujus exempla in illis præſertim parentibus, qui ad ſecunda vota convolant, quotidiana experientia plura ſuppeditat, quàm ſcribi poſſunt; hinc æquum eſt, judices hac in parte parentum loco ſuccurrere *Arg. L. 19. ff. de ritu nupt.* & eorum vices agere, geminatúmque fidei & pietatis officium præſtare. *4tum* requiſitum eſt ſcriptura eaque non

privata sed publica GAIL. *lib. 2. observ. 125. n. 8. arg. L. 4. Cod. de adopt.* quæ enim coram judice fiunt, in scripta & Archiva publica sunt referenda *Cap. quoniam contra 11. de probat.* nam actus hic non manet in terminis simplicis nudi ac privati pacti, sed publici instrumenti fidem ac robur sortitur, ùtùt maximè inter privatos peragatur. *stum* denique & ultimum requisitum est Decretum & Authoritas Magistratûs *Arg. L. 2. Cod. de præd. decur. sine Decret. non alienan.* nam quia Magistratûs authoritas causâ cognitâ intercedens pars est solennitatis ipsius actûs, tum ad integrandas (si ita loqui liceat) pupillorum & parentum personas adhibetur, ideo non nuda voluntas & consensus sufficit, neque satis erit, si ex intervallo aut etiam longè post Magistratûs consensum aut authoritatem suam interposuerit, sed requiritur etiam expressa per decretum approbatio, atque ut eadem in continenti in ipsomet actu interveniat causâ unionis plenè & exactè præcognitâ non perfunctoriè atque obiter perspectâ. *Arg. L. 6. Cod. de præd. min. sine decreto non alien. L. 5. §. 9. de reb. eor. quæ sub tut. & cur.* Quod effectum attinet, hæc solennis parificatio prolium importat patriæ potestatis nexum, Land-Gerichts-Ordnung Hertzogthum Francken *tit. 118. §. 2.* ac quoad effectum alimentorum naturalium & legitimorum locò per unionem quæsitos collocat, & stante hâc unione lucrantur parentes in recompensationem alimentorum usumfructum de bonis unitorum instar parentum naturalium & legitimorum: iste ususfructus in bonis unitorum filiorum hodie & moribus nostris durat non ad tempus vitæ parentum ùt olim, sed ad matrimonii plenæque pubertatis ingressum: ulterior effectus est, quod Pater adscititius filiorum suorum receptitiorum onera suscipere teneatur *Cap. qui sentit de Reg. jur. in 6.* atque is, qui semel in unionem consensit, postea ex pœnitentia solo dissensu ab ea resilire nequit, *Arg. L. 5. Cod. de oblig. & act. Cap. quod semel placuit de Reg. jur. in 6.* & sicut facta unione privigni succedunt vitrico & novercæ unà cum aliis veris illorum liberis, sic etiam vice versâ vitrici & novercæ succedunt privignis, ipsi verò comprivigni sibi mutuò sine speciali statuto non succedunt. Pacto hoc unionis prolium afficiuntur bona omnia ex parte parentum exceptis immobilibus per successionem postea obventuris, nisi consensum habeant illius,

illius, cujus hæreditas ſperatur, & tunc poſſunt illa etiam in unionem duci; ex parte liberorum verò comprehenduntur omnia tempore unionis habita, non verò immobilia per ſucceſſionem poſtea obventura, vel per induſtriam acquirenda: ratio, cur hoc pacto afficiantur acquirenda ex parte parentum non ex parte liberorum, eſt, quia parentes theſaurizant liberis, non liberi parentibus. Et quamvis, uti jam viſum, uniones magnarum virium ſint, ultra liberos tamen ſive fictitios, patrem itidem & matrem naturales ſive unitos ad ulteriores ſucceſſiones non extenduntur, eorumque bona ſolùm communicantur & quaſi uniuntur. Land-Gerichts-Ordnung *tit. 119. §. 1.* pactum enim unionis eſt ſtricti juris, Gloſſ. *in L. 6. adverb. nullum Cod. de pact.* & per conſequens ſtrictè interpretandum. Horum igitur ita hactenus ob oculos poſitorum certitudo efficit, ut judex, qui aliter, ac certò conſtitutum vel approbatum eſt Ducatus Franconici jure (cùm facti quidem quæſtio ipſius ſit poteſtati ſubjecta, juris authoritas non item) pronunciando litem ſuam fecit, meritò ſit in culpa ponendus, cui tamen tanquam cautela coronidis loco inſervient Pythagoræ ſupremo in terris aut patriæ judici optimo congrua Symbola: *Coronam minimè carpe* id eſt leges ac ſtatuta urbium conſerva. *Stateram ne tranſilias:* hoc eſt ne prætergrediare juſtitiam. *Per viam publicam ne ambules* intellige multorum ne ſequaris errores: hæc ubi ſtrictè obſervaverit Judex, leges ſanè atque juſtitiam firmiſſimè colet, & ſemper aurea illa à Ptolomæo Ægyptiorum Rege propoſita præcepta oculis expoſita habebit.

Nunquam magni feci divitem Tyrannum,
Nec odio habui pauperem juſtum.
Nunquam juris dicendi tempus pauperi diſtuli,
Nec largitionibus adductus diviti peperci.
Nunquam feci gratiam alicui favore captus,
Nec iratus pœnam inflixi.
Nunquam permiſi malum impunitum,
Nec bonum irremuneratum.
Nunquam cauſam liquidò juſtam alteri commiſi,
Nec obſcuram ſolus decrevi.

Nunquam jus negavi petenti,
Nec misericordiam eam merenti.
Nunquam bona lætus magnificè promisi,
Nunquam temerè gestiebam in prosperitate,
Nec in adversis animum despondi.
Nunquam odio incitatus damnum alicui intuli,
Nec rem turpem ob avaritiam commisi.
Nunquam adulantium amore capiebar,
Nec aures detrectantibus præbui.
Semper à bonis optabam diligi, ut me timerent mali;
Breviter: favebam pauperibus & favore extraneis carentibus,
Proin dilectus fui à Diis multa petentibus.

FINIS.

TIFFEN Color Control Patches

© The Tiffen Company, 2007

Inches

Centimetres

Blue Cyan Green Yellow Red Magenta White 3/Color Black

TIFFEN Gray Scale

R G B W G K C Y M

A 1 2 3 4 5 6 M 8 9 10 11 12 13 14 15 B 17 18 19

© The Tiffen Company, 2007